



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In Epiphania Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

dæ? S. Bern. insuper dicit esse perjuros in Ps. 28. Quis ascendet in montem Domini? Non simus nobis inutiles ne in vano accipiamus animas nostras. Non simus inutiles proximo nostro, ne in vano ei jurasse probemur, &c. De juramento convenit spiritui ut agnoscamus debitum, & promissam fidem irritam facere vereamur. Omnes enim proximis jurati sumus, cum quibus in Ecclesie venimus unitatem. Et hæc professio fidei Christianæ, ut qui vivit jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est, &c. Debitor es Sacramenti, cautione & propria professione teneris. Hic ergo accipiet benedictionem, à Domino DEO suo, hic qui unus accipit brævium.

### In Epiphania Domini.

**M**agna fit hodie rerum mutatio jam relinquere incipit Synagogam Christus & Gentes amplecti. Jacob junior, hoc est Gentes præripiunt benedictionem majori Esau, id est Judæis. Jam ipse Jacob benedictionem daturus per manuum impositionem nepotibus Gen. 48. transponit manus, & supra juniorem ponit dexteram. Ecce Moyses Æthyopiissam ducit uxorem, & Samson alienigenam. Ecce Isai. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris videt lucem magnam.* Apparuit Magis in stella puerulus gestans crucem. Crux etiam apud Ethnicos magnum quid significabat, juxta Horum Apollinem notabat Ægyptiis spem futuræ vitæ. Antigono comparuit Crux in coelo ex his literis formata TPELA sive Ygeia quod significat salutem. Plato literam  $\chi$  quæ crucem exprimit, inter admirandas habuit. Secuti stellam magi, id est, viri doctissimi, ingrediuntur Jerosolymam, & impletur quod prædixerat Tobias c. 13. *Jerusalem civitas Domini luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt.*

bunt.

bunt in te Dominum. Et cap. 14. Relinquent Gentes idola sua, & venient in Ierusalem, & gaudebunt in ea omnes Reges terre adorantes Regem Israel. Vultis etiam videre in persona hos Reges ostendet illos Beda in Collectancis. Primus Melchior senex & canus, barbâ proluxâ, aurum obtulit quasi Regi magno. Secundus Gaspar juvenis imberbis, rubicundus, eius quasi DEO obtulit. Tertius, adolescens, fuscus, integre barbatus Balthasar Myrrhâ oblati DEI Filium mortalem professus est. Quæ etiam verba locuti dum offerrent munera, audire possumus Doctore Cypri. Ambr. Tertull. Hilâr. apud Isai. 45. Viri sublimes tui erunt, & post te ambulabunt, vinceti manicis pergens, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est DEUS, & non est absque te DEUS. Verè tu es DEUS absconditus.

### In Festo S. Dorotheæ V. & Mart.

**D**UM S. Greg. hom. 12. Evang. de decem virginibus explicando, ad illud pervenit. *Dare nolitis de oleo vestro, ait. Quid est quod tunc à prudentibus oleum petunt? nisi quod in Adventu Judicis cum se intus vacuas invenerint, testimonium foris querunt, ac si à sua fiducia deceptæ. Quia nos quasi sine opere repelli conspiciunt dicite de nostris operibus quod vidistis. Sed hoc est miserum. Ite potius ad vendentes, olei venditores adulatores sunt. Habuit Sancta testimonium intus.*

Habuit imprimis testimonium veræ virginitatis, quantum sit crimen virginem se extra ostentare, in corde non esse, ostendit Tertull. lib. de Pudicitia. *Siquidem post interdictam alienorum Deorum superstitionem ipsorumque idolorum fabricationem, post commendatam Sabbati venerationem, post imperatam Parentibus secundam à DEO religionem, nullum aliud in talibus civibus firmandis monendisque substruxit præceptum, quam, non machaberis. Virgo*  
fuit